

5

ceda, Adversarii nostri comminiscuntur. Ita enim fiet, ut bene intellectis rerum vocibus, res ipsæ absque ambiguitate intelligantur; & si nos semel de nominibus conveniemus, facillimum erit, ut etiam de rebus non contendamus. Qui præfata munera exercebant, his potissimum vocabulis appellabantur: Lictores, Apparitores, Scribæ, Accensi, Interpretes, Præcones, Viatores, Servi publici, Statores, Lorarii, Tortores, Carnifices. De horum quolibet officio, patria, conditione, ac varia temporum vicissitudine, singillatim nobis sermo erit; & primo loco de Lictoribus.

§. II.

*Quodnam apud Antiquos Lictorum munus,
& a quibus exercendum?*

Ingenuitate, qua Scriptores omnes sua opera æternitati consecrant, quæcunque de rebus hisce nos posteritati mandamus, fatemur, ultro, ab eruditissimo antiquarum rerum Scriptore, Samuele Pitisco, in suo Antiquitatum Romanarum Lexico, ut plurimum mutasse. Hoc non dissimulandum ducimus, ne videamur ab aliis excubare, & illos non laudare, quod sane latrocinantium Scriptorum vitium non absque nausea detestamur; atque intuper, ut Legentes sciant, nec pro arbitrio, nec sine Auctore, nos scribere, quæ omni jure sine testimonio scribenda non sunt.

Lictorum originem a Romulo repetit Livius, exemplum ab Hetruscis. Hæc enim scribit dec. i. lib. i. *Rebus divinis rite perpatratis, vocataque ad concilium multitudino, quæ coalescere in populi unius corpus nulla*